

DE
PVRGANTIBVS
CHRONICA CVTIS EXANTHEMATA
NONNVMQVAM EXACERBANTIBVS.

PRAESIDE
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.

FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEM. CAESAR.
 NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON REG. BEROL.
 SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALI,

PATRONO, FAVTORE ET PRAECEPTORE
 OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO

R A D V D O C T O R I S

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XXVII. IVLII C I O C I C C L X I V .

H. L. Q. S.

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

JOANNES ABRAHAMVS GERBES

HAMBVRGENSIS.

22

 HALAE AD SALAM,
 EX OFFICINA BEYERIANA.

52
PARAGANTIBAS
CHRONICA CAVIS EXANTHEMATA
NONNAGLAV EXACERBANTIBAS.

ALIO ULTRASTR EXCERBANTIBAS ATQVE RUTINIZANTIBAS
DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

EX. ANNA. ET. CHIARO. P. R. ORDINAR.
TACITATIS. MIGRAZ. ET. DECOZ. SECTANTIBAS. VELUTIN CAPRÆ.
MVL. CARBO. LIGERIA. ORPHEUS. ET. THER. NICE. NON. ME. BIR. R.
SILENT. ET. MUL. CHIAR. SOGAR.

PATRONO. TAUROTE ET. PRÆCEPTORRE
OMNI. NOVOR. CAV. LUD. AV. D. O.

A. G. A. D. O. T. O. R. I. S

SOLIMMELIA. CONSIDERABO.

ET. A. X. X. X. I. E. T. C. H. A. C. E. R. I. A.

LAVARE. DISSEPIRE.

AGREGO.

IONNES ABRAHAMAS CEBRIAS

HUMANISTIBAS.

HALAE AD SALAM

EX. OFFICINA. BENEFRIVAN.

VIRIS
PERILLVSTIBVS. MAGNIFICIS. CONSVLTISSIMIS
FAMIGERATISSIMAE. FLORENTISSIMAE
SACRI. ROMANI. IMPERII
LIBERAЕ. REIPUBLICAE. HAMBVRGENSIS

CONSVLIBVS
DOMINO

MARTINO. HIERONYMO
SCHEELE

IVRIS. VTRIVSQVE. DOCTORI

NEC. NON

DOMINO
LVCAE. CORTHVM

IVRIS. VTRIVSQVE. LICENTIATO

PATRONIS. FAVTORIBVS

AETERNVM. COLENDIS. DEVENERANDIS

OB
VIRIS
M V T V T I V
PERILLATRIBAS MAGNITUDINE CONSISTITISSIMIS
LAMIGEMMUM LVMINUM MAMAE
SACRI ROMANII IMPERII
ET
LIBERAE REPUBLICAE HAMBURGENSIS
BENEFICIORVM
SPLENDOREM. DIGNITATEM. MAGNITUDINEM
SPECIMEN. HOC. IN AVGVRALE
SE. SVAQVE. SIMVL
EXCELLENTISSIMO
IARIS AVTIAE. DVCE
DVVMVIRATVI
S V B M I S S E. C O M M E N D A N S
LACAE CORTHAM
IARIS AVTIAE. LICENTIA TO
I O A N N E S A B R A H A M V S. G E R R E S
KAMPERGENSIS
VERBVM. CONCERNIT. LITERINERANDIS

DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
PVRGANTIBVS
CHRONICA CVTIS EXANTHEMATA
NONNVMQVAM EXACERBANTIBVS.

§. I.



eminem, in morborum medela vel leui-
ter tantum versatum, fugere potest,
in curandis chronicis cutis exanthema-
tibus laxantia & diuretica diaphoretici-
cis plerumque praefferri; illa maxime salutifera,
haec magis nocua iudicari atque hinc illorum
vsuum in eiusmodi morbis maxime commendari.
Sicut me experientia contrarium. Qua de re
ego verba nunc faciam. Dicendum erit *primo*
de actione purgantium in hisce aegritudinibus;
vnde *dein* limitandus eorum vsus & reliqua, quae
de diaphoreticis hic differenda sunt, absque vlla
constabunt difficultate.

§. II.

Chronica cutis exanthemata mihi hic sunt ea,
quae vel vere sunt scabiosa, vel hisce tamen similia

A

&

& analoga. Haec affectibus cutis pustulosis & pruriginosis adnumeravit *Illustr. b. m. HOFFMANNVS.* Vid. *Medic. system. ration. Tom. IV. Part. V. Cap. V.* Quare etiam caussae chronicorum cutis exanthematum eae ipsae erunt, quae istos cutis affectus excludere queunt.

§. III.

Suscepta in eiusmodis morbis (§. anteced.) venarum sectione sanguis tam viscidus & in coagulum quasi densatus deprehenditur, vt vix possit separari. Confer. *Illustr. b. m. HOFFMANNVS l. m. c. §. XIX. pag. 196.* Vnde, vt ex malis etiam, a retropulsis & minus rite tractatis hisce cutaneis pathematibus oriundis, recte concludit **IDEM** *Vir Illustris* (l. m. c. §. XX.), quod *ingens seri glutinosa & tenacis impuri & corrupti in ipsis morbis ad sit copia, caussam eorundem foecundam in se continens.*

§. IV.

Quum in omnibus cutis affectionibus, a peculiari materiae cuiusdam actione proficiscientibus, procul dubio requiratur, vt actio materiae in solidas cutis partes contingat (§. II.); atque ad actionem corporis in aliud, vnde chronica redundat passio, temporis haud breui interuallo opus sit: nullum erit dubium, quin sub chronicis cutis exanthematis

tibus

tibus stagnatio seri glutinosi & impuri in cutis compage fiat (§§. II. III.). In cute cogitare possumus fibras, vasa sanguifera, vasa serosa, neruos & substratam membranam adiposam seu cellulosam cutaneam. Quaeritur iam, quanam in cutis adnotatarum partium haereat illud, quod caussam chronicorum istorum affectuum diximus? Fibrae & nerui hac in re nullam merentur attentionem. Ista enim per se plane sunt ineptae ad suscipiendum fluidum, cuius stagnatio in cauo quodam contingere debet (nam de ea stagnatione fluidi, quae sub utrione partium adest, impraesentiarum non quimus); hi vero adeo paruo gaudent orificio, ut massa tam spissa eos ingredi nequeat, licet etiam caussa, materiam ir. neruos protrudens, assumi possit, quae tamen deficit. Supersunt iam vasa & cellulosa. Vasa sanguifera arteriosa cutanea prius, quam cutim ipsam accedunt, per cellulosam disseminantur; dein vero abeunt in vasa serosa perspicilia. Quum iam glutinosum, tenax & corruptum (§. III.) cum sanguine arterioso partibus inuehi debeat; vasa vero arteriosa itanea pateant in cellulosam & vasa cutis serosa; cellulosa porro cutanea, raptore adipi aditum permittens, apta sit ad crassiorem materiam recipie. A 2, resistentibus praecipue hic valde vasculis serosis contra tenuiores

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

ciorem massam: sequitur exinde, *in vasis cutaneis stagnationem illam possibilem esse, praecipue tamen sub chronicis exanthematibus adfici cellulosam subcutaneam.* Sufficienter exinde ea elucscunt, quae sapienter de sede affectuum cuius pruriginosorum edixit *Ilystr. b. m. HOFFMANNVS l. c. §. XI pag. 190.* Atque haec sunt fundamenta pathologica primaria, quibus nobis ad subsequentia congrue demonstranda vtendum erit. Plura momenta inuenies apud *HOFFMANNVM l. c. contentus vero paucissimis istis ad eorum adlicationem transeo.*

§. V.

Duo maxime sunt momenta, quae Practico in curandis descriptis cutis actionibus generaliter notanda & exsequenda iuntur:

- I. *vt stagnans illud viscidum, tenax, glutinosum, acre & corruptum soluatur & per congraua loca excernatur;*
 - II. *vt nouus illius prouentus arceatur, i. e. attendum erit, vt visciditas & acrimonia, humoribus existens, curetur & praecaueatur atque us contra nouam, inde metuendam, actionem in cute praemuniatur.*
- Veritas generaliter harum indicationum sufficienter cognoscitur ex §§. II-IV. Vnde etiam simili-
- con-

DE PURGANTIBVS CHRONICA CVTIS &c.

concludi poterit, reliqua omnia, hic adhuc obseruanda, momenta ad vnum vel alterum adnotatorum congrue reuocari posse. Cum hisce iam indicationibus purgantia in actio in corpus, cutis affectibus chronicis defoedatum, comparanda erit.

§. VI.

Purgantia mihi hic dicuntur reredia, aluinam excretionem augentia, quatenus propriis rebus non naturalibus accenseri nequeunt. Hinc ad haec ea quoque refero, quae speciatim *laxantia* dici solent. Dictorum remediorum actio, vel proficiuntur a virtute eorum purgante, vel non. Illa erit *necessaria*; haec *accidentalis*. Prior magis hic attendenda erit.

§. VII.

Docetur in Physiologia, duo potissimum esse, quae excretionem aluinam liberam efficiunt; actio nimirum intestinorum & mucus, intestinorum canali inexsistens. Cogitare itaque possumus purgantia, intestinorum motum peristalticum intendentia; cogitare alia possumus, quae adaugendo lubricantis muci quantitatem suam exferunt actionem. Therapia generalis euincit, purgantia utraque ratione in corpus nostrum vere agere. Actio ergo purgantium necessaria (§. anteced.) ex duobus hisce momentis explicanda erit.

A 3

§. VIII.

§. VIII.

Considerabimus primo actionem eiusmodi purgantium, quae motum intestinorum peristalticum intendendo, suo fungere munere (§. anteced.). Peristalticus intestinorum motus ab irritabilitate partium pendet, praecipiente id Physiologia. Quare purgantia, quae istum motum adaugent, validius intestina irritent necesse est. Irritationis effectus est vel spasmus, vel maior humorum adfluxus, ad eum locum, in quo sit irritation, hac seruata lege, ut minor irritationis gradus adfluxum humorum, maior spastum inducat, quod maxime vulgares comprobant obseruationes. Quoniam autem spasmus intestinorum sine dolore possibilis non est; quoniam spasmus praepedit separationem muci intestinorum a sanguine, sine quo excretio aluina, (multo magis copiosa) contingere nequit; quoniam purgantium actio non necessario cum dolore stipatur: sequitur exinde, irritationem intestinorum, a purgantibus proficcentem, ita esse comparatam, ut adfluxus potius humorum ad intestina, quam spasmus in iisdem suboriri debeat.

§. IX.

Ex generali hocce fundamento (§. anteced.) sponte intelliguntur ea, quae actionem horum purgan-

gantium respiciunt. Inde enim fluunt sequentia:
I. *purgantia*, quae irritando agunt, *ingentem mucii intestinalis educunt quantitatem* (§§. VI. VIII.).
II. *Imminuunt secretionem muci, & fluidi, eidem similis, in aliis partibus.* Quum enim eiusmodi purgantia mucum intestinalem tanta in copia excernant (n. I.) atque in massa sanguinea, quae illius scaturigo est, determinata tantum fluidi mucosi latitet quantitas: fieri aliter non potest, quin ab ipsis purgantibus, quae sollicitant intestina fortius, muci quantitas in aliis partibus deficiat, in quibus alias haeret aut mucus, aut fluidum, ipsi analogum.
III. *Imminuunt copiam illius in aliis partibus.* Copia enim muci in partibus praeuiiae inititur secretioni (n. II.).
IV. *Imminuunt excretionem cutaneam.* Humor enim, qui per hanc excretionem e corpore eliminatur, muco est similis (per Physiolog.). Atque purgantia irritantia secretionem fluidi muco similis imminuunt, vna cum copia illius (n. II. III.), quod ergo de materia etiam perspirabili valebit. Quum vero excretio secretioni sit proportionata: non poterit aliter fieri, quin ab vsu eiusmodi purgantium excretio cutanea imminuatur. Caue vero existimes, hanc unicam rem esse rationem, qua fit, ut excretio cutanea languescat ab excretionis aluinae augmento. Ne-

mo enim nescit, sanguinem, ad cutim propulsam, admodum perspirationi fauere; calore enim vasis congruam inducit laxitatem, impetu vero suo transitum perspirabilis materiae per vasa cutis ferfa faciliorem reddit. Aucta vero sanguinis quantitate in intestinis purgantium irritantum usu (§. anteced.), tam calor, quam motus materiae, ad cutim propulsae, decrescit; quare etiam hac ratione purgantia decrementum perspirationis & sudoris inferunt. Hinc etiam V. tunc demum magis adhuc ob purgantia irritantia decrescat excretio cutanea, quando tenacitas & visciditas materiae, per perspirationem aut sudorem expellendae, eandem iam perse imminuit. VI. Quando in massa sanguinis abundat glutinosum & corruptum: decrescit tunc per usum horum purgantium illius copia & adfluxus adcutim (n. I. II.).

§. X.

Purgantia, quae irritant, soluere & excernere possunt materiam, quae chronica cutis exanthemata determinat. Eiusmodi enim purgantia ingentem muci copiam per alum e corpore expellunt (§. anteced. n. I.). Vnde fit, ut resistentia sanguinis venosi decrescat; qua imminuta absorptio facilius contingit. Nunc materia chronicorum cutis exanthematum stagnat paeprimis in cel-

DE PURGANTIBVS CHRONICA CUTIS etc.

cellulosa subcutanea (§. IV.), e cuius complexu per vasa absorbentia non nimis crassa reduci potest materia. Quodsi ergo materialis haec istorum exanthematum caussa non nimis crassa fuerit: fieri omnino potest, vt stagnatio illius, facta in cellulosa subcutanea, soluatur, si purgantia tunc adhibeantur. Verum per vsum purgantium id simul efficitur, vt glutinosi, tamquam fluidi muco similis, adfluxus magis dirigatur versus intestina, quae excretioni illius simul inseruiunt (§§. VII. VIII.). Hinc ab vsu purgantium non solum solutio stagnationis, ab acri & tenaci ista materia productae, verum huius etiam excretio contingere poterit.

§. XI.
Prima illa, quam in curandis chronicis cutis exanthematis attendere debemus, indicatio in eo consistit, vt stagnatio in cute soluatur & materia soluta congrue excernatur (§. V.). Ergo eandem adimplere possunt purgantia, in his morbis adhibita (§. anteced.).

§. XII.
Purgantia, in chronicis cutis exanthematis usurpata, in se spectata, secundae horum morborum indicationi adimplendae fauent. Tria haec indicatio requirit. Primo, vt visciditas praecaueatur & curetur (§. V.). Purgantia edificant latis insignem muci copiam (§. IX. n. 1.), cuius

B

ius ergo quantitas abinde valde in corpore humano decrescit. Adaugetur hinc vasorum in fluida actio, imminuta sic multum fluidorum crassiorum nimia alioquin resistentia. Fit inde quoque, ut liberiori restituto fluidorum motu, eorum resolutio maior denuo euadat, quo contingente visciditas iam praesens facilius curatur, noua facilius praecauetur. Vnde patet, purgantia ista in se spectata efficere & facilitare id, quod secunda chronicorum cutis exanthematum indicatio respectu visciditatis postulat. Quod secundo acrimoniam fluidorum, quae in his morbis curari & praecaueri debet (§. V.), attinet: eius quoque salutaris sublatio vnu purgantium facilitatur. Purgantia enim non solum fluidum, si acre fuerit, educunt (§. IX. n. I.), sed etiam restituto vasorum tono (per anteced.), eius excretionem faciliorem reddunt. Vtique modo acrimoniae huius curationem facilitant, id simul ex parte caussando, ut nouatur, quod etiam impetratur, dum purgantia nocua, in canali intestinorum restagnantia, excrementa eliminant. Quod tertiam demum huius indicationis spectat partem: ea respicit praecauendam in cute nouam humoris viscidii & acris stagnationem (§. V.). Purgantia curationem visciditatis humorum horumque acrimoniae facilitant, praecauendo simul ex parte, ne noua redeat (per anteced.).

ced.). Quum vero stagnatio in cute proficiscatur a visciditate & acrimonia humoris (§. IV.); quum ipsa purgantia efficere queant, vt stagnatio subcutanea soluatur & stagnans excernatur (§. X.); quum adfluxus viscidus versus cutim ab vsu purgantium igninuatur (§ IX. n. 3.): inde clare satis perspicitur, huic etiam parti indicationis purgantia fauere. Quod ergo de tota valebit indicatione (§. V.).

§. XIII.

In eo hactenus occupati fuimus, vt actionem
I. flarium eorum purgantium, quae irritando
m...s intestina, suam exferunt actionem, respectu
salutis, quam corporibus, chronicis cutis exanthe-
matibus defoedatis, adferunt, determinaremus.
Sequitur accidentalis eorum actio (§. VI.). Irrita-
tia enim purgantia non solum in ventriculum &
intestinorum canalem agunt; verum pars eorum
dem resorbetur ad sanguinem, vt ibi actionem,
vioni conformem, excludat. Huic iam rei in-
stitutur accidentalis purgantium virtus. Ea est
purgantium, irritante virtute praeditorum, natu-
ra, vt vasa quoque nostri corporis stimulent atque
fluida soluant. Resinae, mercuri liaque id
docent. Quodsi ergo partes illorun. quaedam ad
massam humorum transeant: fieri aliter non potest,
quin *actio vasorum intendatur*, *viscidum stagnans*
sol-

Soluatur atque ad sui excretionem aptum magis euadat, humorum demum motus liberior fiat.

§. XIV.

Quodsi nunc haec § anteced. demonstrata conferas cum iis, quae §§. XI. XII. euicta sunt; sine illa adparebit difficultate, effectus irritantius purgantium, quos exserunt in chronicis cutis exanthematibus, inde non solum non imminui, sed magis adhuc augeri.

§. XV.

Ad alteram purgantium, superius stabilitam (§. VII.), classem transeo; ad ea nimirum, quam bricando potius suam exserunt actionem, quorū mannam, passulas, cassiam aliaque refero. Ne gandum non erit, salem hisce stimulantem inesse, hunc vero parum agere, vel ipsa experientia docet, qua constat, soluta eiusmodi corpora irritabilia corporis humani loca parum, vel plane non irritare. Duplici vero modo actio horum corporum purgans concipi debet. Primo enim agi solum lubricando intestinorum canalem. Quando enim hae exrementorum viae lubricae magis redundunt: exrementa citius per easdem transeunt atque ipsa intestinorum actio ob imminutam resistentiam videri redditur. Vnde effectus purgans exoritur (§§. VI. VII.). Videntur vero fermentatione quadam, in primis viis excitata, suo deinde etiam

etiam fungi munere. Nemo enim nescit, corpora dulcia, fermentescibilia, saccharum v. g. mel aliquae diarrhoeam facile producere, quacum fermentationem contextam esse varia simul concurrentia comprobant symptomata. Nonne allata corpora hisque similia eadem ratione agere possunt? Quum vero fermentans materia irritando diarrhoeam excludat: ex hac ratione dieta purgantia irritantibus leuioribus substitui possunt.

§. XVI.

Hinc vero (§. anteced.) sequentia momenta, actionem eiusmodi purgantium respicientia, euinci & declarari possunt: I. educunt fluidi intestinalis copiam sollemni maiorem. Omnia enim purgantia excretionem aluinam intendunt (§. VI). Quum autem sub omni excretione aluina fluidum intestinale euacuetur: sequitur, ab ipsis purgantibus excretionem huius fluidi adaugeri. II. Efficiunt affluxum sanguinis & fluidi intestinalis ad intestina, Fluidum enim intestinale copiosius ab ipsis remediis excernitur (n. I); quod copiosorem huius liquidi secretionem & supponit & efficit, dum ob faciliorrem & frequentiorem excretionem resistentia fluidi prius secreti imminuitur. Efficiunt itaque affluxum fluidi intestinalis. Quod vero, cum sit fluidum secretum, requirit etiam, ut sanguis copiosius adfluat. III. Quare ea producunt, quae de purgan-

gantibus, irritando agentibus, euicta sunt generatim (§. IX. n. III. IV. V. VI.). Sed VI. longe debilius, quam ea purgantia, cum primaria virtus in irritatione quaerenda. §. anteced.). Atque ex simili fundamento V. ed., quam irritantibus tribuimus virtutem accidentalem (§. XIII.), vel plane non, vel minimo in gradu possident (§. ant.). Demum VI. excrementa & alias mobiles particulas primis viis educunt. Hoc enim vel ex ipsa aucta excretione aluina sequitur.

§. XVII.

Purgantia remedia, irritantia intestinorum canalem, adhibita in chronicis cutis exanthematibus, duabus indicationibus ob actionem suam fauent, quas sub curatione modo nominatorum morborum Practicum exsequi oportet (§§. XI. XII. XIII.). At qui eodem ferme modo, licet debilius, agunt purgantia, quae canalem intestinorum lubricando aluum soluunt (§. anteced.). Quare dubium non est, quin sub chronicis cutis exanthematibus haec quoque purgantia praescriptis indicationibus inferuant, quamvis longe debilius, quam purgantia prius considerata.

§. XVIII.

Quum purgantia siue irritando intestina, siue lubricando agant, faueant indicationibus, quas in curandis chronicis cutis exanthematibus obseruare Practi-

Practicum oportet (§§. XI. XII. XIII. XVII.): inde colligimus, *idem valere de purgantibus, quae ex utraque specie coniuncta redundant.*

§. XIX.

Considerauimus ergo hactenus actionem purgantium in chronicis cutis exanthematibus, vnde euidenter satis adparere videtur, purgantia utilia semper, numquam vero nocua in ipsis morbis existere posse, nisi purgantia adhibita aut subiecti afflicti idiosyncrasiae repugnant, aut aliae regulae practicae, circa illorum usum obseruandae, neglectae fuerint. Verum enim vero poterit in chronicis ipsis cutis affectionibus remediis purgantibus attribui noxa, licet proprie neque idiosyncrasia, neque regularum practicarum, usui purgantium vulgo destinatarum, obseruatio neglecta sint a Medico; breibus, augent nonnumquam morbum loco medelae, quam adferre alioquin creduntur. Satis vulgares Medicorum obseruationes id docebunt. Sed opus erat, actionem horum remediorum in chronicis cutis exanthematibus prius noscere & qua salutem adferre possunt rationem, ut noxa, nunc fusius demonstranda, eo facilius exinde perspici possit.

§. XX.

Medici cum viderent, quantum ad cognitionem & medelam morborum sanitatisque naturam per-

perspiciendam faceret, si copiam humoris & aliorum corporum, per vnam vel alteram excretionem ablatam, scirent, multum in eo occupati fuerunt, vt rationem perspirabilis materiae excretae, ad copiam vrinae & corporum, per aluinam excretionem eliminatorum, determinarent. Multa ideo in variis terrae regionibus capta sunt pericula, &, licet calculus adeo accuratus impetrari nequeat, certum nihilominus inde redditur, excretionem cutaneam solam copia corporis excernendi reliquas excretiones multum superare. Si perspiratione maior humoris copia eliminatur, quam per alias excretiones, inde etiam colligitur, suppressam transpirationem maiorem humoris quantitatem retinere, quam aliae excretiones itidem suppressae in corpore retinent; atque autam excretionem cutaneam reliquis etiam intensiss excretionibus maiorem illius copiam e corpore humano expellere.

§. XXI.

Quum, facta aluina excretione intensiori, maior etiam humoris perspirabilis copia educatur: fieri exinde potest, vt illud, quod ob auctam excretionem aluinam perspirationi decedit, per eandem tamen e corpore eliminetur, adeoque damnum, ob imminutam perspirationem metuendum, iterum remoueatur. Quum vero actio medicamentorum in corpora humana adeo diuersa sit, contingere etiam

etiam poterit, vt, licet augeatur excretio aluina, minor nihilominus humoris copia excernatur, quam excreta fuisset, si, manente perspiratione eadem, aluina excretio non intensa facta fuisset. Quae cum ita sint: poterunt quidem purgantia adhibita tantum materiae perspirabilis excernere, vt nulla noxā ab excretione cutanea, aut valde immunita, aut plane etiam suppressa ab usū purgantium (§. IX. n. IV.), ad corpus redundet; sed contingere etiam poterit ob medicamenti, aut individuorum diueritatem, vt damnum quoddam post usum purgantium ex retenta materia perspirabili in corpore excludatur. Id quod paullo exactius considerandum erit.

§. XXII.

Modi nimirum erunt hic determinandi, quibus fieri potest, vt per remediorum purgantium usum tanta materiae perspirabilis copia non excernatur nonnumquam, quanta, non aucta per purgantia excretione aluina, ob illaesam tunc perspirationem, excreta fuisset. Atque hoc eo exactius exsequendum erit, quo certius est, quod huic praeprimis rei noxa purgantium, in chronicis cutis exanthematibus nonnumquam obseruata, innatur. Causae vero, hoc producentes, generatim sequentes esse proterunt: I. *Nimia subiectorum sensibilitas.* Quo enim subiectum quoddam est

C

sen-

TONIN

sensibilius, eo citius non solum afficitur, sed eo diutius etiam a caussa quadam, statum corporis mutante, adficitur. Quotidiana id docent exempla. Nunc purgantia ob varias caussas excretionem cutaneam imminuunt (§. IV. n. iv.). Hae ergo suppressae transpirationis caussae diutius agunt in subiectum sensibilius (per anteced.) ; actio interea purgantis imminuitur & euanescit, quo fit, ut desinat excretionis materiae perspirabilis, per aluum antea facta, ob purgantis remedii adhibiti actionem. Dum ergo in hoc casu imminuta perspiratio perdurat; caussa vero, quae antea eandem compensabat, agere desinit: fit inde, ut copia tunc maior materiae perspirabilis in corpore retineatur. Auget hoc peculiaris, in nonnullis subiectis sensibilioribus obseruanda, circumstantia. Sensibilia subiecta ad spasmos valde sunt proclivia. Irritans itaque purgans in eiusmodi subiectis poterit facile spasmum in osculis intestinalium excretoriis producere, ipsa actione remedii purgante diutius durantem (per anteced.). Imminuetur tunc fluidi intestinalis excretio; imminuetur aluina excretio, a cuius imminutione magis adhuc copia materiae perspirabilis adaugebitur.

II. *Nimia humorum spissitudo & visciditas.* Materia enim perspirabilis ex tenuissimis massae sanguineae particulis conflata est. Quare in subiectis, spissitudine & visciditate humorum laborantibus, minor

minor iam ad perspirationem obtinet dispositio. Quodsi nunc tenuior sanguinis pars copiosus nihilominus excernatur, quod sub purgantium vsu contingere debet: fieri aliter non potest, quin magis adhuc perspiratio & copia humoris, per eandem excernendi, decrescat. III. *Dispositio subiectorum ad perspirationem maior, quam ad excretionem aluinam.* Tunc enim ob irritantem purgantium effectum producitur adfluxus sanguinis versus interna, difficilius interim fluidi intestinalis excretioni contingente. Vnde ob maiorem sanguinis adfluxum transpiratio imminuit, magna nihilominus materiae perspirabilis copia, ob difficultatem illius in intestinis se & excretionem, in corpore relata. Atque ob hanc caussam purgans hunc effectum in iis subiectis maxime procreabit, quae perspirationi aut sudori matutino adsuefacta sunt. Ob ipsum enim purgantis remedii intermittitur huius excretionis sustentatio. IV. *Purgans remedium nimis valide agens.* Hinc enim oriri solet corporis debilitas, quae omnes excretiones, hinc perspirationem quoque, imminuit. Ad has usus generalliores specialiores, ut arbitror, facile reduci possunt, quae itaque ex generalioribus dijudicandae sunt.

§. XXIII.

Purgantia, ob corporum humanorum constitutionem, non solum excretionem cutaneam immittunt

nuunt (§. IX. n. iv.), verum ita quoque imminuere possunt, ut magna materiae perspirabilis copia in corpore retineatur (§. anteced. & §. XXI.) Verum excretionis cutaneae decrementum inducere potest chronica cutis exanthemata, demonstrante id *Illustr. b. m. HOFFMANNOL. c. §. XXI. pag. 197.* quod iam vero continget, si subiectum quodam aliunde ad eiusmodi cutaneos affectus dispositum sit (per Patholog.). Hinc etiam fieri aliter non potest, quin subiectum, istic cutaneis exanthematis iam defoedatum, augmentum morbi imminuta aut suppressa transpiratione percipiet. Vnde recte etiam concludimus *purgantia nonnumquam chronicorum cutis exanthematum exacerbationem post se trahere posse.*

§. XXIV.

Si purgantia chronicorum cutis exanthematum exacerbationem post se trahere possunt, quo §. anteced. demonstrauimus; si remedia, quae morbum exacerbant, aut exacerbare possunt, caute adhiberi i sanandum morbum debent, eorumque usus imitatus sit: sequitur, *idem quoque dicendum de usu purgantium remediorum in chronicis cutis exanthematibus.* Consideres praeterea modum, quo purgantia in eiusmodi morbis indicationes, superius stabilitas (§. V.), adimplent: & magis adhuc de limitando illorum usu conuinci poteris.

poteris. Salus abinde in dictis morbis speranda innititur. I. *Deriuat: ni stagnantis in cute materiae eiusque per alvum excretioni* (§§. X. XI.). Sed ad deriuationem materiae, in cute stagnantis, ad intestina, requiritur, ut mobilis & non nimis crassa sit materia (§. X.). Quis vero est, qui nesciat, in chronicis cutis exanthematibus materiam morbo-fam saepe insigniter esse crassam? Vnde contingit, ut neque eius absorptio, neque excretio illius per aluum fieri queat. Accedit excretionem materiae per aluum plus saepe damni, saltim leuamentum minus constans efficere (§. XXIII.). II. *Actioni purgantium, qua praecauendae & tollendae viscidiati humorum inferuiunt* (§. XII.). Verum enim vero hoc perficiunt, ut ex ipsa demonstratione adparet, dum imminuendo copiam muci & viscidi robur vasis addunt, quae eorum virtus ideo satis est limitata, quod 1. in ipsis morbis nimis magna huius viscidiae materiae adestr copia, atque quod 2. saepe contingat, ut ab excretione cutanea, per haec remedia languida facta, maior huius materiae copia in corpore retineatur (§. XXI. & §. XXII.). III. *Actioni purgantium, qua acrimoniae humorum curationi & praeseruationi fauent.* Hoc perficiunt tollendo excrements nocua, intestinis inherentia, restituendo vasorum robur atque educendo partem acrioris materiae (§. XII.). Quod excretionem mate-

materiae attinet: haec purgantium virtus satis est in his morbis limitata (§§. I. XXI. XXIII.); neque minus ea, qua robur corporis & vasis inducunt, quae proficiscitur ab imminuta viscidi copia (§§. XII. & anteced. n. II.). Illa vero purgantium virtus, qua acrimoniam curant & praeseruant educendo nocuas excrementorum particulas ex intestinorum canali, tanta omnino est, vt in casu, vbi eiusmodi excrements restitant, omitti neque debent, neque possint. Quoniam autem chronicā cutis exanthemata sine istis & cogitari possunt, & vere saepe existunt: manet nihilominus & hoc respectu satis limitatus purgantium usus in chronicis cutis exanthematibus. IV. *Actioni purgantium, qua viscidi & acris stagnationem in cute praecarent* (§. KII.). Hanc illorum virtutem limitatam esse, ex demonstratione, §. anteced. suppeditata, satis perspicere possumus. V. *Virtuti nonnullorum purgantium accidentalī, soluenti nimirum & vasa fortius sollicitanti* (§. KIII.). Verum perpendere hic debemus. 1. Hanc virtutem in debilioribus purgantibus nimis esse paruam, validiora vero purgantia hic rarissime adhiberi posse, & si etiam adhibeantur, ob debilitatem, quam corpori inducunt, denuo & viscidiati & acrimoniae fauere. 2. Cum purgantia, sufflaminando transpirationem, nonnumquam copiam materiae, quae cauſa est chro-

chronicorum cutis exanthematum, augeant (§. anteced.), hinc eo magis praedicta illorum virtus limitatur. Satis ex his nunc constare arbitror, virtutem purgantium in chronicis cutis exanthematicis non solum nonnumquam minus esse salutarem, sed generatim multo magis, quam vulgo creditur, limitatam. Eo vero magis hoc obtinet, quo frequentius, summa id non exigente necessitate, purgantia adhibentur. Tunc enim non solum eo facilior morbi exacerbatio (§. XXIII.); sed, debilitato etiam ventriculo, labefactatis intestinis, subnascitur mala digestio, quam frequentem saepe nominatorum morborum existere caussam egregie monuit *Illystr. b. m. HOFFMANNVS l. c. §§. XX. XXIII.* pag. 196. 199.

§. XXV.

Cur vero tam frequenter contingit, ut nulla a frequentiori etiam purgatione in eiusmodi subiectis notetur noxa? Vt hic ea omnia omittam, quae ab idiosyncrasia hominum desumi possent, ad lenitatem remedii purgantis partim, partim ad reliqua, quae vulgo in hisce morbis adhiberi solent, prouoco. Quo lenius enim est eiusmodi medicamentum: eo minor est effectus, qui exinde ad corpus humanum redundant. Decocta demum, infusa resoluentia, diapnoica, roborantia, medicamenta alia, similem virtutem exserentia, frequentissime noxam, a pur-

103

purgatione frequentiori inducendam, minuent & tollent. Nihilominus nocuum eiusmodi effectum experientia nonnumquam docet. Obtulit sese curae meae femina mediae circiter aetatis, debilis, sensibilis, perspirationi matutinae adsuefacta, fluxu menstruo satis regulari gaudens; notabiles, quod cibos & potus attinet, errores non admittens, atque ex suppressa transpiratione aegra ex chronicō cutis exanthemate. Adhibebantur remedia maxime hic sollemnia, atque horum vsui interponebatur purgans lenius, a cuius vsu semper augebatur exanthema cutaneum, cuius dein exacerbatio denuo reliquorum remediorum vsu imminuebatur. Mutaui his perspectis consilium. Omissis omnibus purgantibus, soli impetrandae paullo largiori perspirationi simplicissimis remediis diapnoicis & dia-phoreticis operam dedi, quod adeo feliciter cessit, vt breui temporis interuallo aegra sit restituta. Manifestissime exinde confirmari arbitror, non sine ratione me adfirmasse, purgantia nonnumquam nocua esse in istis cutis exanthematibus. An ergo semper reiicienda? An omni in casu ab illis abstinentum erit? Neutquam. Excrementitiae particulae, canali intestinorum inexistentes, sui remotionem requirunt; alias morbus de novo inde semper increscit. Tunc ergo non solum non reiicio, sed vrgeo purgantia leniora. Volo tantum, vt Le-
ctor

ctor ex demonstratis in antecedentibus concludat:
I. Purgantium usum in chronicis cutis exanthematibus nonnumquam norium, semper vero magis limitatum, q[uod] ago quidem putatur. II. Vitudinum esse nisi sequentem purgantium usum. Atque III. purgantia, si adhibeantur, lenissima esse debere. Haec enim sufficiunt ad scopum, quem Medicus impetrare curatur, simul vero non sunt comparata, ut transpiratio, ob languidiorem illorum & debiliorem actionem, tantopere nequaquam imminuatur, ut noxa inde metuenda sit grauior.

§. XXVI.

Cum ergo nunc sufficienter de priori meae Dissertationis parte (§. I.) dixerim: ad alteram transeo, qua ostendam, diaphoresin non adeo reformidandam esse in hisce aegritudinibus, vti primo intuitu videri posset. Unicum tantum, ut arbitror, est argumentum, quo vti quis posset, ad noxam illius demonstrandam, quod primo proponam. Diaphoresis auctiorem supponit excretionem cutaneam. Auctiorem excretionem antecedere debet auctior secretio, atque hanc auctior sanguinis ad locum secretorum copia & adfluxus. Adfluxus vero humorum auget debilitatem partis; auget caussam stagnationis, in chronicis cutis exanthematibus praesentis (§. IV.). Nonne ergo nocebit magis, quam iuuabit, diaphoresis? Peribit huius argumenti vis, si sequentia no-

D

tamus

tamus: 1. stagnatio materialis horum exanthematum caussae proprie non quaerenda erit in debilitate, sed potius in visciditate, immo etiam in acrimonia materiae. Quandoero intenditur diaphoresis visciditas simul imminui, rimonia temperari debet. Hinc abinde debilitas metuenda non erit. 2. cum diaphoreticis remedii roborantia coniungi possunt, unde debilitas, si adfuerit, imminui & tolli; si metuenda, praecaueri posset. Remoto hoc dubio proprius ad diaphoreticorum utilitatem accedo.

§ XXVII.

Quum per excretionem cutaneam maior humoris copia e corpore expellatur, quam per aliam quamcunque excretionem: sequitur, citius per eandem nocuiae materiae perspirabilis copiam eliminari posse, quam per aliam excretionem. Nunc vero chronica cutis exanthemata oriuntur a materia, quae vel vere est materia perspirabilis, vel ipsi tamen similis; atque eius tam copia, quam acrimonia. Ergo dubium non est, quin transpiratione auctiori, seu diaphoresi longe citius expelli queat materia, chronica cutis exanthemata efficiens, quam si ideo alia quaecunque excretio naturalis intendatur. Quoniam praeterea vero nulla noxa ab usu diaphoreticorum metuenda est, si modo corporis praepartatio ptaegressa fuerit (§. anteced.); nullum est dubium

dubium, quin *diaphoresis non solum non noceat in chronicis cutis exanthematibus, sed etiam maxime conduceat.*

§. XXVIII.

Ex iis, quae hactenus paullo exactius consideravi, momentis, sequentes nunc regulae prouunt, quae in curandis chronicis cutis exanthematibus obseruari debent:

I. *Quando impuritates in primis viis per sua signa cognoscuntur, aut metus illarum saltim adsit: adhibeatur lenius purgans.*

II. *Repetatur hoc, si impuritates istae denuo in crescere videantur; omittatur vero, si nocuae particulae in primis viis non ad sint.*

III. *Vsurpentum cocta & infusa theiformia resoluentia, bl. dius acre temperantia & roborantia, cum regimine diaphoretico.*

IV. *Adhibeantur etiam alia medicamenta resoluentia & acre expellentia v. g. Tinct. Tartar. Sapon. cum Ess. Succini remixta.*

V. *Motus febriles, si increscant, temperentur vsu temperantium aestum, & natis lenioribus diaphoreticis.*

VI. *Regulæ diaetericae ita formur, ut morbi nulla noua causa suboriantur. Aesens vero magis imminuatur. Hinc eorum potissimum*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

mum, potulentorum, aëris & excretionum
naturalium habeatur ratio.

VII. *Finito morbo non inutile erit, tenius repe-
tere purgans atque roboran'ium usum conti-
nuare.*

§. XXIX.

Prouti vero omnes corporis humani segnit
lines modo facilius, modo difficilius remediioru
m usui cedunt: ita hoc quoque circa chronica cu
exanthemata obtinebit. Quod cum fiat: validi
ra morbus exposcit remedia, quae *Illustr. b.* i
HOFFMANNVS l. c. fusiis descripsit. Atque eu
ctis, quae demonstranda (§. I.) suscepseram, han
nunc quidem finio dissertationem.

TANT A.



medio PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE

DOMINO CANDIDATO

S.

P R A E S E S .

Dum, Candidate Dignissime, ex illustri hac musarum sede discipulum redditumque in Patriam paras, vix tantum otii mihi relictum video, ut perbreves hasce ad te dare possim litteras. Vicit tamen amor in te meus impedimenta omnia, nec quicquam intermittere potui, quod ad iusta encomia et prolixas laudes tuas pertinere, dignum mihi visum erat. Quo itaque publicum aliquod incredibilis tui ardoris, quo artem salutarem coluisti, exstaret testimonium: ego quidem, cum perpetuus fere studiorum tuorum fuerim testis, testor, te tempus academicum in addiscendis partibus Medicinae, quae indissolubili nexu cohaerent, et a se inuicem diuelli difficulter possunt, consummisse solidaque fundamenta theoretico-practica eo successu iecisse, ut magno nunc di-

E

lectissi-

lectissimae Patriae viuere possis emolumento. Quum enim per omnem
vitam academicam mecum habitaueris, quumque te per plures annos
habuerim auditorem, diligentia praestantem: optimae indolis notam
semper ostendisti immo rebus factisque comprolasti animum doctrinae
cupidum et rectis integrisque moribus imbutum. Sic cognitis ingenii
tui dotibus, haud vulgaribus, te saepius ad aegretorum strata duxi,
eorum curam tibi commisi, teque non comitem solum, sed et ami-
cum nactus sum, cuius consuetudo etiam inter priuatos parietes magni-
mihi semper fuit delectamento. Nihil itaque superest, quam ut tibi,
Praestantissime Domine Candidate, superatis cum laude consuetis ex-
minibus, et edito iam inaugurali docte elaborato Specimine, quod, me
moderatore, crastina luce publice defendendum suscepisti, ex decreto
et vnumimi Illustris Ordinis Medici consensu, iusta meritorum praemia
conferam. Hos ex merito conferendos honores non tibi tantum, sed
et Patriae Medicum doctissimum et experientissimum gratulor vereque
gratulor, ac quaeuis felicitatis genera fausta que ex animo adprecor.
Vale, Doctissime Domine Candidate, et de meo in te semper propen-
so animo dubitare noli. Dab. e Mus. d. xxvi. Iul. c. lccc. lxiv.

MiBol

3

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. V. D.

IO. PET. EBERHARD

MEDIC. PROF. PUBL. ORDINAR.

Ea est salutaris scientiae conditio, ut optimā haud raro medicamenta, vel per abusum, vel propter certas quasdam circumstantias noxia fiant atque funesta. Quis est qui Opii, quis est qui peruviani corticis fata ingnoret? quam funesto saepe euentu salutaria haec remedia fuerunt exhibita! Praeclare itaque de Medicina meretur, qui damnum ex incongrua probatissimorum alias remediorum adlicatione, ortum, demonstrar, et tam iusto ratiocinio, quam experientia suffultus, ob oculos veluti ponit. Egregie proinde a te factum est, PRAESTANTISSIME DOMINE CANDIDATE! quod exacerbationem chronicorum exanthematicum, a purgantibus, alias summe hic necessariis, nonnumquam productam Inaugurali hocce specimine demonstratam dederis. Amo te, non propter hoc modo egregium eruditionis TVAE specimen exhibatum, sed et propter singularem diligentiam TVAM, et vitam academica cum apud nos hucusque cum laude transactam. Gratulor tibi profectus TVOS in Arte salutari acquisitos, et summos honores in eadem hac Arte iam ex merito adipiscendos. Fauxit sun. quod cuncta gubernant, Numen, ut conamina TVA, in multorum aegrorum salutem, et salutaris scientiae vterius incrementum cedant. Vale mihi que faue. Dab. Halae in Reg. Friderie. d. 27. Jul. 1764.

PRAECLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE
DOMINO CANDIDATO.

S. D.
IOANNES FRIEDERICVS BECKMANN.

M. D.

Multa sunt, quibus te hactenus omnibus omnino bonis, et quos in primis salutare licet, aequis rerum medicarum iudicibus ita commendasti, ut, si vel hanc unam, quae tamen in hac re multum nisi plurimum facit, consencionem illorum, qui huic rei optimum iudicium constitutere valent, adderem, omnem laudis TVAE materiam exhausisse mihi aliisque videres. Et enim cuius encomia non ex mercede partium studio, fraude, et crimine, sed ex ipsa diligentia, et quasi sponte et ex fse nata sunt, non anxie aliorum ad placsum requirit, sed quod non requisiuit, curavitque, inuenit, eoque tanquam de coelo demissio fruatur. Talem tv, Coniunctissime GERBES! te semper non modo Hamburgi, sed etiam Haleae praeflitisti ad fiduciam tua indefessa, in qua ingenium tuum excellentissimum, exercere nunquam defisi, tantaque artis medicae, cuius fontes non tam facile ius, qui nomen illius profiteri audent, deteguntur, cognitione instruxisti, ut, quas nostrae artis Patres adpellitare soleo; quos enim maiores disciplina salutaris aut defensores, aut patronos unquam vidit ius, quorum institutioni elegantissimae tv Haleae adfuiſi, te Doctoris nomine et honore dignissimum declararent. Gratulor igitur tibi, non consuetudine quae inter nos quotidiana fere, intercessit duabus, sed laudis virtutisque tv audio accusus talem honorem, in arte nostra sumnum teque dignissimum. Gratulor reipublicae nostrae talem ciuem. Gratulor omnibus aegrotis talem medicum. Gratulor tandem et mihi talem amicum. te vero, maximo honore ornatum optime saluere, omnibusque bonis semper frui iubeo. Vale. Dabam Berolini die XXV. Iul. MDCCXLIV.

VIRO



V I R O
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
IOANNI APOLLAMO GERBES,
SVPREMOS IN MEDICINA HONORES CAPESENTI

S. D. P.

I. N. WEISSE, OPP.

Tempora cum circum TVA cingit Apollo corona
Docta TVIS parta studiis; TIBI pediore laeto
Gratulor, atque iterum meritum TIBI grator honorem,
Fortunaeque genus toto appreco*r* infimul omne
Ex animo TIBI, mi Dilectissime GERBES!
Immenfis TVA diffundant se nexibus, opto,
Atque propagentur bona mentis commoda vitae.
Vine diu saluis, sospessis, fisque leuamen
Dulce TVVM miseri auxilium qui in tempore poscunt;
Et TIBI semper honos gloriae laudesque manebunt.

SCRIB. HALAE, D. XXVII. IVL. A. O. R. CLOCC LXIV.

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO HONOR. DOCTORAL.

DIGNISSIMO,

AMICO SVO DIL C TISSIMO

S. P. D.

NICOLAVS HERRMANNVS ESCHERHAVSEN

FRISO ORIENTALIS

MEDICIN. CANDIDAT. OPP.

Illuxit iam dies ille non tibi solum sed mihi etiam calculo notandus candissimo, quo te Doctoral. Honor., veluti optimo diligentiae praemio decoratum adspicio. Mortali enim cuique quid potest esse iucundius? quid optatius? quam, quibus se fregit, laborum fructus colligere. Itaque amicitiae potius, quam consuetudinis officio adductus gratulor tibi hunc diem. Gratulor tibi, Amice optime, de altiori dignitatis gradu, ad quem solidior tua te evexit eruditio. Nihil, mihi crede, magis in votis habeo, quam, ut nunc aditus tibi ad omnes honores pateat atque ut quam plurimis magna, qua instructus es, scientia profit. Vale, flore ac diligenter cura, ut amicitia nostra nunquam non sancte colatur. Dabam Halae ad Salam d. XXVII. Iul. MDCCXLIV.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
AMICO SVO SVAVISSIMO

S. B.


F. C. BEHR,

A. S. C.

Qui candida potius laudum TVARVM apudalios commemoratione, quam litteris hisce meis te colendum putavi, sine offensione hanc opportunam occasionem praetermittere non posse, mei erga te amoris publicum deponendi pignus; mihi videbar. Habet itaque hanc quasi syngrapham, TVAM amicitiam, quam tanta humanitate, tamque liberaliter tum es pollicitus, tum eius etiam innumera in me exstare voluisti, argumenta, non modo mihi esse honorificam et iucundissimam; sed me etiam, quum TIBI in omnibus facile cedam, in amore tamen nihilquam esse concessurum. Nihil denique addam, quam quod TIBI ac patriae mihi TECVM communi ex animo gratuler, quod honorifice edito hic eruditionis præclarissimæ, specimine cum laude eo redeas. Ceterum Deus T.O.M. TVAM laetitiam TIBI velit propriam esse ac perpetuam. Vale. Dabam in Academia Frideric. die XXVII. Iul. A.O.R. 1764.



DOMINGO CAGIDATO
-MICO - MATERIAZIONE
MESSI



0046282

ULB Halle
002 828 103

3



Dokto ✓

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

DR
PVRGANTIBVS
CHRONICA CVTIS EXANTHEMATA
NONNVMQVAM EXACERBANTIBVS.

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.

FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEM. CAESAR.

NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON REG. BEROL.

SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALI,

PATRONO, FAVTORE ET PRAECEPTORE
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO

R A D V D O C T O R I S

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XXVII. IVLII C I C C L X I V .

H. L. Q. S.

PVLICE DISSERET

AVCTOR

IOANNES ABRAHAMVS GERBES

HAMBVRGENSIS.

HALAE AD SALAM,

EX OFFICINA BEYERIANA.